Quomodo vivebant Romani?



NOSCE ORBEM TERRARVM

Ravensburger

Libellum originalem, cui est titulus Francogallus:
„Comment vivaient les Romains?"
composuerunt Odile Bombarde et Claude Moatti pinxit François Place
© 1986 Editions Gallimard
© 1987 huius editionis Germanae: Ravensburger Buchverlag Otto Maier GmbH

In Latinum convertit Petrus Sagittarius vulgo Schütz
consulentibus
Gisela Bacher, Wolfram Berger, Mechthild Mayer

Sub titulo „Wie lebten die Römer?"
in Germanum convertit et redegit Jürgen Witznick

93 94 6 5 4

Omnia huius editionis iura reservata
ab editore Ravensburger Buchverlag Otto Maier GmbH
Impressum in Italia MCMLXXXVII a Societate Editoriali Libraria

ISBN 3-473-38330-9

Quomodo vivebant Romani?

Stadtbibliothek
Mitte
K 1
94 III S 203 Text

INDEX CAPITVM:

DE VRBE
Haec urbs tria fere milia annorum habet V
Nihil nisi tumultus in urbe VII

DE VITA PRIVATA
Romanus in domo sua IX
Quae vestimenta Romani induunt? X
Schola etiam ludus appellatur XI

DE VITA PVBLICA
Forum Romanum XII
Thermae, deliciae Romanorum XIV

DE CIBO
Quomodo tantae urbi cibus paratur XVI
Ruri multi homines negotiosi sunt XVIII

DE LVDIS
Panem et circenses XX
In amphitheatro munera gladiatoria dantur XXIII
Munera gladiatoria non cessant XXIV
In theatro XXVI

DE RELIGIONE
Ludi diu dis deabusque celebrati sunt XXVII

DE RE MILITARI
Exercitus Romanus ingens imperium paravit XXIX
Legio Romana pugnans XXX
Triumphus victori a senatu decernitur XXXII

DE ORIGINE POPVLI ROMANI
Novistine fabulam de origine populi Romani? XXXIV

INDEX VERBORVM XXXV

HAEC VRBS TRIA FERE MILIA ANNORVM HABET!

Roma est caput Italiae, etiam Roma aeterna appellatur. Hodie per vias Romae migrans Colosseum et multas ruinas videre potes, quae urbem antiquam commemorant. Potesne cogitare Romam antiquam tam vivacem fuisse quam Romam nostri saeculi?

Visne detegere, quomodo Romani antiqui vitam egerint aetate Christi?

Regebantur ab imperatoribus. Omnibus terris ad Mare Nostrum sitis imperabant.

Hodie quoque multa vestigia monumentorum Romanorum reperire potes velut Augustae Treverorum, Coloniae, Brigantiae ad Lacum Brigantinum sitae, Augustae Rauricae ad Rhenum superiorem sitae, Aventici in capite Helvetiorum.

Hic nummus aureus Augustum repraesentat, primum imperatorem Romanum.

◀ **Hoc est Amphitheatrum Flavicum, vulgo Colosseum appellatum a statua colossali Neronis, quae hic posita erat. Tale hodie Romae apparet.**



NIHIL NISI TVMVLTVS IN VRBE!

Libra Romana

Noctu audis plaustra in viis et aurigarum maledicta. Interdiu multitudo hominum te promovet, tibique ex fenestris caenum in caput iactatur.

Itaque homines divites saepe lectica portantur. Quot incolae vicos plebis inhabitant!

Itaque insulae construebantur plus quam octo cenaculorum, sed tam fragiles, ut nonnumquam corruerent!

Incendia quoque frequentia et horribilia imminent. Urbs etiam multos peregrinos invitat: argentarios, negotiatores, philosophos, artifices. Roma dives est, tabernae copiarum plenae sunt, omnia suppetunt. Monumenta urbis splendida sunt!

In cauponis Romani vinum potant.

Tonsor Romanis crines abscidit, barbam tondet, faciem odoribus afficit.



ROMANVS DIVES IN DOMO SVA

Quomodo Romanus diem agit? Prima luce surgit, paucum panem et caseum edit. Deinde patronus clientibus pecuniam cottidianam et aliquid cibi praebet. Patronus servos possidet, qui domo vel negotiis occupati sunt.

Post meridiem Romani cenant; divites saepe familiares et amicos invitant. In triclinio accubantes digitis cenant-semper ‚ab ovo usque ad malum'. Nonnumquam cibos extraordinarios edunt, velut glires, sumen, phoenicopterum. Omnes fere cibos condiunt liquore salso, quem herbis, piscibus, vino malorum fabricant et ‚garum' vel ‚liquamen' appellant. Romani pauperes pane, olivis, uvis, melle contenti sunt; saccharon ignotum est. Raro carnem edunt.

Nocte appropinquante omnes cubitum eunt, quod nihil nisi lucernas olearias habent ad illuminandum.

In ara uniuscuiusque domus Laribus, dis domesticis, sacra fiunt.

Serva cottidie dominae capillos et faciem ornat.

In domibus balnea rara sunt.
Romani aqua frigida se lavant sine ‚sapone'.

QVAE VESTIMENTA ROMANI INDVVNT?

In imagine inferiore vides ad sinistram servos tunica vestitos. Cives Romani togam supra tunicam habent. Pueri civium bulla aurea circum collum ornati sunt.

I Servus servaque tunica vestiti.
II Patronus patronaque togati.

Toga semicirculata est.
Sunt varii modi induendi.

Schola saepe taberna est sub divo sita. A via velo tantum separatur.

SCHOLA ETIAM LVDVS APPELLATVR!

Pueri puellaeque septem ad quindecim annorum prima luce scholam petunt. Servus, qui paedagogus appellatur, eos comitatur eorumque tabellas ceratas stilosque portat, quibus scribunt.

Magister saepe Graecus est. Paucos discipulos docet, pigros virga punit. Parentes magistro pecuniam dant. In schola, quae apud Graecos ‚gymnasium' appellatur, discipuli arte legendi, scribendi, computandi docentur. Discunt praecipue recitando et repetendo.

Sed pueri puellaeque Romani etiam ludunt: trocho, turbine, pupis ceratis fictilibusque. Sibi excogitant ludos velut pilarum aut alearum.

Discipuli utensilia hic vides: capsam papyri voluminibus completam; pennam et calamum scriptorium; atramentum; tabellam ceratam.

FORVM ROMANVM

Multa monumenta exstant: templa, arcus triumphales, basilicae.
Usque ad C. Iulii Caesaris mortem omnia privata ac publica negotia ibi agebantur!

Ibi oratores et candidati orationes habebant, populus leges ferebat, de re publica disputabat. Imperatores Romani nova fora construxerunt. Sed haec ‚Fora Imperialia' non iam publica erant.



In hypocausto, quod supra vides, servi aquam et solum calefaciunt. Itaque in thermis non solum piscinae aquae frigidae, sed etiam aquae calidae et tepidae sunt.

THERMAE DELICIAE ROMANORVM!

Cottidie fere post meridiem Romani thermas adeunt, balnea publica. Ibi lavantur, corpora

exercent, garriunt. Aditus parvo constat. **AQVA** quattuordecim aquaeductibus Romam ducitur in omnes fontes viarum, in latrinas publicas, in thermas, in domos ac hortos. In cenaculis domorum privatarum aqua viva non est. Plebei Romani ad fontes viarum amphoras aqua implere debent. Nihilo-minus Romani aquam in cisternis collectam praeferunt.

Prima Romae cloaca ante duo milia quingentos annos constructa adhuc hodie in usu est.



XV

Romani naves remis velisque incitant.

QVOMODO TANTAE VRBI CIBVS PARATVR?

Plurimae merces per mare ex omnibus orbis partibus Romam perveniunt. Naves quaedam ingentes sunt: repertae sunt naves fractae decem milibus amphorum completae! Etiam obelisci ex Aegypto navibus

Vehicula ad merces transportandas minus apta sunt, nam saepe a latronibus opprimuntur et tarda sunt: navis die ac nocte navigans spatium centum milium conficit, vehiculum quartam partem.

Horrea

Taberna

immensis in Italiam transportantur.
Ostia portus Romae est.
Cum navis oneraria appellitur, onus nave fluviatili adverso Tiberi in horrea urbis transfertur.
Nonnumquam frumentum Gallicum, Aegypticum, Siciliense gratis populo praebetur.

Roma omnia emere potes, quae imperium genuit:

vitrea

fictilia

ebur

marmor

metalla

lignum

papyrus

ovis lana

linteum

pelles

equi

ferae

oleum

vinum

poma

frumentum

mel

purpura

Torculum ad oleum ex olivis premendum.

RVRI MVLTI HOMINES NEGOTIOSI SVNT:

servi laborantes pro patrono Romano, sed etiam agricolae agros manibus suis colentes. Vinum colendum est, olivae legendae et premendae sunt. Hodie quoque pars agrorum frugiferorum ‚bella Campania' appellatur!

Vinum et oleum in amphoris et ollis conservantur.

Villae rusticae molas et fornaces continent. Hic asinus molam movet.

Romani enim multo oleo utuntur: butyro carent et lucernas oleo implent. Magnas greges caprarum et ovium educunt. Terram aratro arant, quod in hamo ligneo consistit, qui a duobus bobus trahitur. Villas magnificas inter vineas et cyparissos sitas adeunt, ut se reficiant ab urbis tumultu. Infra spectas gregem pecoris et puerum anseres custodientem ante villam rusticam.



Omnis quadriga colorem suum habet. Iupiter albatis adest, Neptunus venetis, Venus prasinis, Mars russatis.

PANEM ET CIRCENSES

populus Romanus ab imperatore postulat. Itaque imperator cives persaepe ad ludos invitat. Ludi circenses in Circo Maximo dantur. Aurigae equos currentes septies circum metas agitant. Metae valde periculosae sunt: in imagine vides quadrigam prope metam naufragantem.

Romae sumus in Circo Maximo. Supra circum aedificia Palatini collis sita sunt, ex quibus familia imperatoria ludos observat. Plus quam centum milia hominum ludis circensibus adsunt! Uno die usque ad centum cursus in circo spectare licet! Etiam multi spectatores certant pignore! Omnia spectacula gratis sunt; nonnumquam spectatoribus etiam panis praebetur.



IN AMPHITHEATRO MVNERA GLADIATORIA ET VENATIONES DANTVR

Maximum amphitheatrum est Colosseum, quod quinquaginta milia hominum brevi tempore per LXVI aditus intrare possunt – sine tumultu! Rete arenam circumdat, ne bestiae in multitudinem saltent. Tamen dominae, pueri puellaeque, servi in superioribus partibus sedent. Vela lintea spectatores a sole protegunt; CCXL malis fixa sunt.

In amphitheatro nonnumquam etiam naumachiae dantur, pugnae navales: in arena inundata naves verae pugnant! Prope Colosseum gladiatores exercentur in amphitheatro parvo. Hunc locum, qui Ludus Magnus appellatur, hodie quoque Romae videre licet.

Supra vides tigrim, qui in arenam tollitur. Nam in caveis subterraneis bestiae, arma gladiatoria, partes scaenae et omnes aliae res necessariae tenentur.



MVNERA GLADIATORIA A SOLE ORIENTE VSQVE AD SOLEM OCCIDENTEM NON CESSANT!

Gladiatores ex officio pugnant; plerumque servi sunt vel voluntarii, qui praemiis attrahuntur. Raro sunt homines scelesti ad ludos damnati. In imagine gladiatores fuscinis et sagittis pantheras vel leones temptant. Nonnumquam ursus bisonem petit, elephantus rhinozerotem. Ad sinistram vides ‚ericium', quo gladiatores se recipere possunt. Crudelissima autem sunt munera gladiatorum inter se pugnantium. Spectatores sanguinis cupidi gladiatores saepe provocant: „Verbera!" „Iugula!" (id est: neca) vel: „Hoc habet!"



Ante pugnam gladiatores imperatorem salutant: „Ave Caesar, morituri te salutant!“ Caesar est nomen omnium imperatorum. Voce Germana ‚Kaiser‘ conservatur.

Plerumque tales gladiatores pugnant:
Retiarius Murmillo Samnes Thrax

Certamine confecto victor adversarii vitae parcit, si imperator pollice signum dat. Itaque retiarius ad imperatorem spectat.

Aetate C. Iulii Caesaris primum magnificum theatrum lapideum exstructum est.
Antea mimi in viis et foris dabantur.

IN THEATRO

ludi scaenici aguntur, comoediae vel tragoediae. Spectatores autem saturas praeferunt vel mimos. In pantomimis chorus cantica tibiis cantat. Cum spectatores attenti non sunt, dominus theatri: „Exsurge, praeco“, inquit, „fac populo audientiam!“ Et praeco: „Silete et tacete atque animum advertite: audire iubet vos dominus theatri!“

Mimi semper viri sunt. Igitur viri etiam partes feminarum agunt: faciem persona capillorum mulierum tegunt, motus et voces mulierum imitantur.

Dionysus patronus theatri.

Opus tesselatum mimum monstrat, cuius faciem persona comica tegit.

LVDI DIV CELEBRANTVR DIS DEABVSQVE,

qui apud Romanos multum valent. Romani deos saepe consulunt et eorum auxilium petunt. Supra spectas ‚suovetaurilia': sacerdos capite velato suem, ovem, taurum sacrificat. Servi sacerdotis hostias floribus vittisque ornatas securibus aeneis necant. Haruspices, sacerdotes Etrusci, deorum voluntatem ex animalium visceribus explorant et somnia interpretantur. Multos deos Romani colunt, inter quos Iuppiter ‚maximus optimus' honoratur.

Graeci ludos Olympios Iovi celebrant, a quibus spatia quattuor annorum ‚Olympiades' nominantur.

Augur, alius sacerdos Etruscus, manu dextra lituum gestat. Ante pugnam augur aves sacras observat. Bonum signum dant, si fruges avide edunt.

Romani munitiones lapideas in Europa construunt…

A Gallia usque ad Asiam, ab Africa usque ad Britanniam **EXERCITVS ROMANVS IMPERIVM INGENS PARAVIT.** Ad sinistram spectas munitionem Romanam, quae limes nominatur. In Germania a Rheno usque ad Danubium pertinet. Multa castella Romana ad limitem sita sunt. In imagine inter limitem et tabernacula milites stant cum signifero et tibicine et centurione. Equites salutant. Tabernaculum rubrum sanctuarium castelli est. Itaque a milite custoditur.

…et in Africa.

Acies Romana cum Graecis dimicat.

ROMANI OPPIDVM OPPVGNANT

Milites variis catapultis hastas sagittasque ardentes et onagris saxa in muros mittunt. In carribus tectis milites portam ariete aggrediuntur. In turri ambulatoria, quam ad murum moverunt, Romani ascendunt: signa Romana iam in muro oppidi sunt! Turris magna iam fracta est. Legatus Romanus in via stans oppugnationem cum signiferis observat. Oppidani sagittis se defendunt.

Legionarius Romanus pila mittit; deinde gladio stricto pugnat.

TRIVMPHVS VICTORI A SENATV DECERNITVR. Magna multitudo per forum in montem Capitolinum ascendit.

Sequuntur sacerdotes et hostiae ornatae: tauri albi…

Triumphator vestimento purpureo Iovis indutus et sceptro eburneo et lauro ornatus est. Servus coronam supra caput tenens dicit:

 „Memento te hominem esse!“

Primi sunt magistratus et musici. Praeda spoliaque portantur et imagines oppidorum captorum.

…et captivi catenis vincti cum musicis. In signis aureis nomina legionum victricium scripta sunt.

Filius patrem comitatur. Lictores triumphatorem anteeunt. Legati, centuriones, signiferi sequuntur. Milites vocant: „Io triumpe!“ et iocos militares faciunt.

NOVISTINE FABVLAM DE ORIGINE POPVLI ROMANI NARRATAM?

Graeci Troiam in Asia Minore sitam decem iam annos oppugnabant. Tum demum Troiam ingressi sunt ingenti equo ligneo militibus completo. Troiani dolum non suspicati capti vel trucidati sunt. Troia arsit! Aeneas Troianus autem suos vindicare voluit. Tum Venus, dea amoris et mater Aeneae, pura per noctem refulgens Aeneae se obtulit: „Nate, quantus dolor excitat iras? Quid furis? Non prius aspicies Anchisen patrem, Creusam coniugem, Ascanium puerum? Fuge cum tuis!"

Deinde Creusa in fuga mortua Aeneae apparuit et voluntatem deorum pronuntiavit: „Hesperiam in terram venies, ubi Thybris fluit!"

Post multos errores et post mortem patris Aeneas in Italiam pervenit. Apud Cumas descendit ad inferos, ut ab Anchise patre fata sua audiret. Anchises ei apparuit: „Te tua fata docebo! Laviniam coniugem duces. Parentes eritis gentis, quae Rheam Silviam gignet, matrem Remi et Romuli. Is Romam urbem condet fratremque interficiet."

Ad dextram spectas Aenean cum Anchise patre et Iulo Ascanio filio fugientem. ▶

INDEX VERBORVM

pag. V

Mare Nostrum	Mittelmeer
Augusta Treverorum	Trier
Colonia	Köln
Brigantia	Bregenz
Augusta Raurica	Kaiseraugst
Aventicum	Avenches

pag. VII

plaustrum, -i n	Lastwagen
auriga, -ae m	Wagenlenker
maledictum, -i n	Fluch
caenum, -i n	Abfall, Dreck
lectica, -ae f	Sänfte
insula, -ae f	Wohnblock
cenaculum, -i n	„Speisezimmer": Stockwerk
argentarius, -i m	Geldwechsler
suppetere	reichlich vorhanden sein
odor, -ris m	Duft, Parfüm

pag. IX

glires	Haselmäuse
sumen, -inis n	Schweineeuter
phoenicopterum	Flamingo
saccharon, -onis n	Zucker
lucerna olearia	Öllampe
sapo, -nis f	Seife

pag. X

bulla, ae f	Amulett, Kapsel

pag. XI

tabella cerata	Wachstafel
stilus, -i m	Griffel
virga, -ae f	Rute
trochus, -i m	Reifen
turbo, -inis m	Kreisel

pupa cerata / fictilis	Wachs-/Tonpuppe
sub divo	unter freiem Himmel
capsa, -ae f	Behälter, „Kapsel"
volumen, inis n	Schriftrolle
calamus scriptorius	Schreibrohr
penna, -ae f	Schreibfeder
atramentum, -i n	Tinte

pag. XII

disputare	diskutieren

pag. XIV

balneum, -i n	Bad(ezimmer)
garrire	schwatzen

pag. XVI

navis oneraria / fluviatilis	Last-/Flußschiff
adverso Tiberi	tiberaufwärts
horrea, -orum n	Speicher, Lagerhallen
remus, -i m	Ruder
velum, -i n	Segel

pag. XVII

fictilia, ium n	Tongefäße

pag. XIX

butyrum, -i n	Butter
hamus, -i m	Haken(pflug)
mola, -ae f	Mühle
fornax, -cis m	Ofen
vinea, -ae f	Weinberg, Weingarten

pag. XX

septies	siebenmal
meta, -ae f	Wendesäule
quadriga, -ae f	Viergespann
naufragare	umstürzen
pignore certare	wetten
albatus	weiß
venetus	blau

Quomodo vivebant Romani?
3. [Aufl.]. - Maier, [19]91
ISBN 3-473-38330-9 fest geb. : 8.80

Von O. Bombarde, C. Moatti/F. Place. - Wie lebten die Römer? Bilder und lateinische Texte geben Auskunft über alle Facetten römischen Lebes. Das Buch setzt ca. 2-3 Jahre Lateinunterricht voraus.

(6.4/Egl 2: lat.)

prasinus	grün
russatus	rot
in pecuniam ludere	um Geld spielen

pag. XXIII

munera gladiatoria	Gladiatorenspiele, -kämpfe
venationes, -um f	„Jagden", Tierhatzen
rete, -is n	Netz
malus, -i m	Mast(baum)
inundare	überfluten
cavea, -ae f	Gewölbe

pag. XXIV

cessare	aufhören, enden
ex officio	berufsmäßig
fuscina, -ae f	Dreizack
pollex, -icis m	Daumen

pag. XXVI

mimus, -i m	Schauspiel(er)
satura, -ae f	Schwank, Posse
tibia, -ae f	Flöte
persona, -ae f	Maske
opus tesselatum	Mosaik

pag. XXVII

velatus	verhüllt
sus, suis m	Schwein
vitta, -ae f	Opferbinde
aeneus	ehern
viscera, -um n	Eingeweide
somnium, -ii n	Traum
lituus, -i m	Krummstab

pag. XXIX

munitio, -nis f	Befestigung
tabernaculum, -i n	Zelt
signifer, -i m	Fähnrich, Feldzeichenträger
tibicen, -inis m	Pfeifer
centurio, -onis m	Hauptmann
sanctuarium, -i n	Heiligtum

pag. XXX

onager, -ri m	„Esel", Steinschleuder
aries, -etis m	„Widder", Rammbock
turris ambulatoria	fahrbarer Belagerungsturm
legatus, -i m	Oberst, Kommandeur
pilum, -i n	Wurflanze

pag. XXXII / XXXIII

spolia, -orum m	Rüstungen
indutus	bekleidet (mit)
sceptrum	elfenbeinfarbenes Szepter
eburneum	
io triumpe	„Triumph"
ioci militares	Spottverse der Soldaten

pag. XXXIV / XXXV

suspicari	argwöhnen, rechnen mit
trucidare	niedermachen
vindicare	rächen
refulgere	erstrahlen
natus = filius	
Hesperia terra	Westen, hier: Italien
Thybris = Tiberis	Tiber
inferi, -orum m	Unterwelt(sgötter)
Cumae, -arum	Cumae, Sitz der Sibylle

Hic libellus docet et delectat pueros puellasque, qui duos vel tres annos linguae Latinae studuerunt, omnesque maiores natu, qui linguae Latinae favent.

- Quot annos Roma urbs habet?
- Quot milites in legionibus erant?
- Gladiatores – qui erant?
- AVE CAESAR, MORITVRI TE SALVTANT – ubi dicebatur?

- Erantne Romanis balnea?
- Quales erant viae?
- Tunica – quid est?
- PANEM ET CIRCENSES – quid hoc sibi vult?

9 783473 383306

ISBN 3-473-38330-9

NOSCE ORBEM TERRARVM